



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 42. Error de Communionem sub utraque specie a Jacobello in Bohemia divulgatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Secul. XV.
A.C. 1415.

stica pretio appetiatis simoniace notorie distribuisse, bonaque & jura Romanæ Ecclesiæ, & aliarum Ecclesiarum dilapidasse, quodque charitative monitus a præmissis desistere noluit, sed continuo perseveravit Ecclesiam Dei notorie scandalizando. Ea propter per hanc nostram sententiam pronuntiamus, decernimus, ac declaramus dictum Dominum Joannem Papam ab omni administratione Papali, spirituali, & temporali, ex causis præmissis fore suspendendum, & suspendimus, eique administrationem ipsam interdiciamus, quocirca tenore præsentium districte inhibemus, ne quisquam cujuscunque status, conditionis, gradus seu dignitatis, etiam si Regalis, Cardinalatus, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis seu alterius cujuscunque Ecclesiasticæ vel sæcularis existat, de cætero directe vel indirecte obediat, decernentes contra facientes contrarium, tanquam contra fautores dicti schismatis & Joannis Papæ, ad pœnas Juris & alias . . . fore procedendum.

§. XLII.

Error de Communionem sub utraque specie a Jacobello in Bohemia divulgatus.

*Harpsfeld
Hist. Wiclef.
lib. 14.*

In hac eadem Sessione, cum Episcopus Littomisliensis in Moravia doctrinam de Communionem sub utraque specie Synodi

nodi Patribus denunciasset, hæc caussa Sæcul. XV.
A.C. 1415.
 examinari cæpta est. Quidam nomine
 Petrus Dresdensis, ob hæresin Walden-
 sium Saxonia expulsus, Pragam confugit,
 ibidem Pædagogum acturus. Hic Jaco-
 bum Misniensem, alias Jacobellum di-
 ctum, Parochiæ ad S. Michaelem Pleba-
 num excitavit, ut usum calicis introdu-
 ceret. Nam cum Petrus Dresdensis qua-
 dam die Jacobellum inviseret, mirari se,
 dixit, virum adeo doctum, illum tamen
 errorem, qui in Ecclesiam circa calicis
 oblationem irrepsisset, non animadvertisse,
 nec ad illum corrigendum hucusque ani-
 mum adjecisse. Jacobellus Hæretici hu-
 jus sermonibus captus, usum calicis o-
 mnino introducere statuit. Quapropter
 adversus avitam Ecclesiæ consuetudinem
 publicas Theses affigi jubet, in eandem
 sententiam e suggestu perorat, atque ad-
 stipulante suorum Collegarum quopiam,
 Simone Rzepenski nomine, vix non uni-
 versum populum ad Eucharistiam sub
 duplici specie sumendam inducit; Clero
 autem novitati huic acriter obluçtante,
 Jacobellus a sua Parochia amotus fuit,
 qui tamen ad Ecclesiam Parochialem S.
 Martini admissus, eandem doctrinam
 spargere non destitit. Prodiere contra
 eum varia scripta, quibus respondere co-
 nabatur, tandemque hanc ob caussam
 magnis in Bohemia excitatis tumultibus,

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

Archiepiscopus Pragensis eum anathemate percussit, nec tamen Jacobellus inde resipiscens, dogma suum ubique prædicare non abhorruit; quocirca Clerus ad Synodi auctoritatem recurrens illum denunciavit.

§. XLIII.

Joannis Hussi vindiciæ a Nobilibus Bohemis Synodo porrectæ.

*Vander
Hardt to. 4.
p. 188.*

Joannes Hussus, quamvis hujus novitatis architectus non esset, nihilominus eandem suo quoque calculo approbavit, atque in usum deduxit. Hinc Littomisliensis Episcopus doctrinam hanc tanquam Hussiticæ sectæ surculum, Synodo excutiendam proposuit. Ex altera vero parte Bohemiæ Proceres Epistolam ad Concilium dederunt, in hac eadem Sessione perlectam, in qua Joannis Hussi detentionem, ceu æquitati ac bonæ fidei adversam, acriter questi sunt, simulque Bohemiam a quibusdam rumoribus, ad infamiam Regni circa Eucharistiam divulgatis, vindicare satagebant; nam fama exhibat, in hoc regno Sanguinem Christi Domini in Calicibus non consecratis circumferri, a futoribus fidelium confessiones excipi, ab eisque ipsum Eucharistiæ Sacramentum administrari. Cumque in hac Epistola Littomisliensem

fem